

## II.

*Stephani abbatis, Hugonis Pontiniacensis, Bernardi ac Clara-Valle aa Honorum papam.  
(Est epistola S Bernardi quadragesima nona.)*

## ADMONITIO IN CHARTAM CHARITATIS.

Hanc Cisterciensis ordinis primam constitutionem, CHARTÆ CHARITATIS nomen a suis auctoribus accepisse, testantur in primis omnia illius manuscripta, ac subinde plures Romani pontifices; maxime vero Eugenius III, Anastasius IV, Adrianus IV, Alexander III et Clemens IV. Qui dum illam singuli confirmarunt, hoc illi nomen constanter asseruerunt. Nec sane desunt hujus tam honorificæ nuncupationis rationes. Nam præterquam quod Clemens IV hoc eam nomine insignitam ait, a CHARITATE quam undecunque spirant illius decreta: Calixtus II, qui primus eam singulari diplomate consecravit, eandem omnium tam abbatum et monachorum ejusdem ordinis, quam episcoporum in quorum parochiis prima illorum monasteria constituta fuerant consensu ac deliberatione communi ac mutua charitate sancitam fuisse declarat. Tantum vero abest ut aliquam illius auctores, terrenæ alicujus, ut ipsi loquuntur, commoditatis seu rerum temporalium exactionem suis fratribus per illam imponere tentaverint, quin potius illis, si quando penuriam aut ruinam eorum aliqui incurrerent, subsidium a cæteris maxima cum charitate suppeditari voluerunt. Adde quod quemadmodum eorum successores in ejusdem constitutionis prologo censuerunt, hæc ipsa constitutione mutuae pacis præcaventis naufragium, statuerunt quo pacto quove modo, imo qua CHARITATE, monachorum per abbatias, in diversis partibus mundi constitutas corporibus divisi, animis indissolubiliter conglutinentur. Hæc de nomine hujus constitutionis.

Quod autem spectat ad decreta quæ in illa continentur, omnia illa ad duo potissimum capita referuntur; nempe ad morum institutionem et ad regimen ordinis seu administrationem. Ac primum quidem illius caput moribus instituendis Regulam S. Benedicti præscribit, eamque unicam, utpote sufficientem, si accurate et ad litteram observetur. Cætera vero illius capita regimini personarum ac monasteriorum administrationi subserviunt, dum visitationes monasteriorum, electiones abbatum, Patrum abbatum auctoritatem, capituli generalis celebrationem et alia id genus sapientissime moderantur; quibus, ut hoc obiter moneam, omnem hujus ordinis jurisdictionem, superioritatem et auctoritatem ad abbates proprios, ad Patres abbates et ad capitulum generale revocare velle videntur.

De auctore vero hujus constitutionis hoc nobis apparet vero similis, nimirum S. Stephanum Cistercii tertium abbatem, præcipuum quidem illius fuisse auctorem, non tamen unicum. Nam, ut supra meminimus, eadem constitutio consensu ac deliberatione communi omnium abbatum et monachorum sancita est, quemadmodum Calixtus II, Eugenius III et Clemens IV disertis verbis profitentur.

Cæterum etsi non constet quo præcise anno conscripta sit, certissimum est eam anno millesimo centesimo secundo nono ab eodem summo pontifice Calixto II fuisse confirmatam.

## CHARTA CHARITATIS

*Nomasticon Cisterc. Paris. 1664, fol.)*

*Antequam abbatie Cistercienses florere inciperent, dominus Stephanus abbas et fratres sui ordinaverunt, ut nullo modo abbatie in alicujus antistitis Diœcesi fundarentur, antequam ipse decretum inter Cisterciense cœnobium et cætera ex eo nata exaratum et confirmatum, ratum haberet, propter scandalum inter pontificem et monachos devitandum. In hoc ergo decreto prædicti fratres mutuae pacis futurum præcaventis naufragium elucidaverunt et statuerunt, suisque posteris reliquerunt, quo pacto quove modo, qua charitate, monachi eorum per abbatias in diversis mundi partibus corporibus divisi, animis indissolubiliter conglutinentur. Hoc etiam decretum chartam charitatis vocari censebant, quia ejus statutum omnis exactionis gravamen propulsans, solam charitatem et animarum utilitatem in divinis et humanis exseruitur.*

## INCIPIT CHARTA CHARITATIS.

## CAPUT PRIMUM.

*De singulari inter personas hujus ordinis consensione circa sensum et præxim Regulæ S. Benedicti cæterosque alios usus ac caeremonias.*

Quia unius veri Regis, et Domini, et Magistri, nos omnes servos licet inutiles, cognoscimus, idcirco abbatibus et confratribus nostris monachis,

A quos per diversa loca Dei pietas per nos miserimos homines sub regulari disciplina ordinaverit, nullam terrenæ commoditatis, seu rerum temporalium exactionem imponimus. Prodesse enim illis, omnibusque sanctæ Ecclesiæ filiis cupientes, nihil quod eos gravet, nihil quod eorum substantiam minuat, erga eos agere disponimus: ne dum nos abundanter